

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXI. De mirabili affectione dei erga animam beatae sororis  
Mechtildis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Fundatoris  
claustrī  
præmium.

dulcissime amplexans, hoc amictum aureum, quod amoris et cognitionis insigne præfert, meritis suæ dilectricis mihi dedit, et amoris coronam capiti meo imposuit; et ex tum majorem cognitionem et amorem semper venerandæ Trinitatis habui, et in æternum sum habiturus. » Hinc ista ait : « Quid splendor hic designat, qui Vos circumdat? » Respondit anima : « In hoc lumine agnosco benignitatem et misericordiam Dei mei erga me; et degusto ejus ineffabilem amorem et dulcedinem, qua me dilexit ab æterno. » Interrogante etiam ista, quid sibi proficeret quod ejus anniversarius festiuis cantibus a Congregatione ageretur in terris, ille respondit : « Dominus meus omnia quæ mihi fiunt, in purgatorium animabus mittit, ex quo plurimæ liberantur; et has animas proprias mihi donat, sicut Imperator qui principibus suis milites tribuit: et hoc mihi perpetuus honor erit in cœlestibus. »

---

## CAPUT XXI.

DE MIRABILI AFFECTIONE DEI ERGA ANIMAM BEATÆ SORORIS  
MECHTILDIS.

**I**NTER tricesimum, cum iterum animam beatæ memoriæ M. videret, et eam de gloria sua interrogaret, illa respondit : « Meritum meum et gloriam meam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. » Quo audito, illa cœpit contristari; sed anima consolabatur eam dicens : « Carissima soror, noli mœrere; cum enim puer patrem

amplecti desiderat, nec ad ipsum patrem præ sua parvitate attingere valet, pater ex affectu nimio et compassione puero se inclinatur, quatenus eum amplexari valeat et osculari. <sup>1</sup> Sic et benignus Dominus amanti animæ dignanter se inclinans, invisibilia et ineffabilia cœlestium secretorum per similitudines eidem demonstrat. Ego autem in divinitatem sic translata sum, eique felicissime unita, ut quodam modo ab omnipotente omnipotens, a sapientia sapiens, a benignitate benigna effecta; et sic de omnibus, quæ in Deo sunt, bonis ditata. Ideoque omnia quæ mihi his triginta diebus, orationibus, gratiarum actionibus pro me, cæterisque bonis operibus impendistis, Dominus totaliter, ac si ipsi in propria persona fecissetis, acceptavit; et orationes vestras secundum benignissimæ voluntatis suæ beneplacitum exaudivit. Insuper quodcumque pia devotione et credulitate ad sepulcrum etiam prædilectæ sororis meæ petieritis, scitote vos exaudiri; ita ut si illud quod oratis vobis non expediat, clementissima Dei liberalitas in aliud melius et vobis utilius commutabit. » Tunc illa ait: « Habent omnes Electorum animæ hanc de qua dixistis felicissimam cum Deo unionem? » Anima respondit: « Etiam; sed differenter secundum quod hic meruerunt: aliæ majori liberalitate, aliæ cognitione alias præcellunt. Et sic de singulis. »

Mechtildis  
anima  
perfectio-  
num Dei fit  
particeps.

1. Hic adductum pueri et patris exemplum formam Gertrudi solitam in suis revelationibus feliciter in memoriam revocat.